



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Praecunctis. ij. Clem. iiij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13589

postposita, prædicatores questuarios à prædicationis officio (quod ad ipsos nullatenus pertinet, quorum interest tantum charitatiua subsidia simpliciter petere, ac indulgentiam, si quam forte habent exponere) liberam vobis, & singulis vestrum concedimus, auctoritate præsentium, facultatè.

Cæterum si forte (quod non credimus) aliqui cuiuscunque conditionis huic negotio vobis commissio, se opponere, seu illud præsumpserint aliqua tenus impedire: vt nõ possit procedi libere in eodem: immo nisi requisiti illud fouerint, & iuxta officium, & posse suum singuli iuuerint studiosè: contra eos tanquam hæreticorum fautores, & defensores, secundum sanctiones Canonicas, freti eadem auctoritate, intrepidè procedatis.

Denique vt circa præmissa plenè vobis, & singulis vestrum coertionis expediat, & inuolabilis addit auctoritas, volumus, vt ea omnia vtiliter exequamini, inuocato (si opus fuerit) auxilio brachij secularis, Contradiçtores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstantibus aliquibus priuilegijs, vel indulgentijs quibuscunque personis, cuiuscunque conditionis, dignitatis, vel gradus, religionis, vel ordinis, & præsertim Cisterciensium, Prædicatorum Minorum, seu Eremitarum, siue communitatibus vel vniuersitatibus ciuitatum, & locorum, specia liter vel generaliter, sub quacunque verborum expressione vel forma à memorata sede concessis, vel in posterum concedendis: Etiam si dicatur in illis, quod eis per aliquas literas totum de verbo ad verbum tenorem non continentes priuilegiorum vel indulgentiarum ipsarum, nequeat derogari: Et illis maximè priuilegijs, & indulgentijs, quibus, ab ipsa sede concessum est aliquibus seu concedetur deinceps, quod excommunicari, vel ipsorum terræ supponi non possint ecclesiastico interdicto, aut quod prædictorum, vel aliorum quorumlibet ordinum fratres, ad executiones negotiorum, aut ad citationes quorumlibet, siue denunciations, sententiarum excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, auctoritate litterarum Apostolicarum minime cogi possint, nisi de ipsorum ordinibus, priuilegijs, vel indulgentijs, eis sup hoc à sede concessis eadem habeatur in eisdem litteris mentio specialis: cum ex huiusmodi vel alijs priuilegijs, vel indulgentijs nullum uobis in tato pietatis negotio, velimus obstaculum interponi: Et cõsuetudine de duab. diebus edita in Concilio generali. Dat. apud Montem Flacon. v. Calen. Aug. Pontificatus nostri anno primo.

Clemens III.

Clemens Episcopus seruus seruorum Dei, Dilectis filiis Fratribus ordinis Prædicatorum Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, in regno, & dominio charissimi in Christo filii nostri Illustris Regis Aragonis deputatus auctoritate Apostolica, & in posterum deputandis Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Præcunctis nostræ mentis desiderabilibus &c. sicut in præcedenti immediate, Datum Peru

A si sexto nonas Octobris, Pontificatus nostri anno primo.

Quia vero in prædictis duobus priuilegijs Urbani, & Clementis, sequens clausula, quæ dirigitur Inquisitoribus, continetur: *Vobis autem pro huiusmodi negotio laborantibus, illam peccatorum veniam indulgemus, quæ succurrentibus terræ sanctæ in generali Concilio est concessa*, Ideo, vt videatur quæ est illa indulgentia, quæ conceditur terræ sanctæ succurrentibus, & consequenter Inquisitoribus in negotio fidei laborantibus: sciendum est, quod in capitulo, Ad liberandam terram sanctam, extra de Iudejs, & Sarracenis, in parte decisæ, vt notat Hostien. in lectura, habetur sic.

Ad liberandam terram sanctam, & infra. Nos ergo de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Apostolorum Petri, & Pauli auctoritate cõfisi, & ex illa quam nobis, licet indignis, contulit Deus ligandi atque soluendi potestate: omnibus qui laborè istum in proprijs personis subierint & expensis, plenam suorum peccaminum, de qui bus fuerint veraciter corde contriti, & ore cõfessi, veniam indulgemus, & in retributionem iustorum, salutis æternæ pollicemur augmentum: Eis autem qui non in personis proprijs illuc accesserint, sed in suis dumtaxat expensis, iuxta facultatem & qualitatem suam viros idoneos destinauerint: Et illis similiter, qui licet in alienis expensis in proprijs tamen personis accesserint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Huiusmodi quoque remissionis volumus, & concedimus esse participes, iuxta qualitatem subsidij, & deuotionis affectum, omnes, qui ad subuentionem ipsius terræ de bonis suis congruè ministrabunt aut circa prædicta cõsiliu, & auxilium impederint opportunum: Omnibus etiam piè proficiantibus in hoc opere in communi sancta, & vniuersalis synodus orationum, & beneficiorum suorum suffragium impartitur, vt eis dignè proficiat ad salutem.

Ex prædictis omnibus clarè patet, quod Inquisitores dum laborant in eorum officio sancto, suorum plenam peccatorum veniam consequuntur.

COMMENT. XXII.

Præcunctis. Edidit Clemens III. anno Domini 1265. eisdem penitus uerbis, quibus Urbanus III. prædecessor paulo ante ediderat; videtur enim fuisse mos uetustis temporibus cum ita res postulabat, vt in principio Pontificatus quilibet Romanus Pontifex contra hæreticos, & Ecclesiæ rebelles leges promulgaret, vt eos suppliciorum, & penarum acerbitate à tanto crimine amoueret, & ad ecclesiæ gremium reduceret. Has autem leges interdum à prædecessoribus acceptas nullis mutatis uerbis (nisi occasio suaderet) edebant, vt me etiam verè docuit Illustrissimus, Iulius Antonius Sanctorius sanctæ Seuerinæ Cardinalis, generalis Inquisitor, vir singulari pietate, & eruditione: quæ consuetudo vt ex antiquis Pontificum rescriptis colligo, tunc maxime uiguit, cùm Albigenses, Pauperes de Lugduno, et cæteri eius sectæ hæretici ab hinc fere trecetis annis

† Concessit Inn. III. in concilio generali Lateranen. Romæ habito anno Domini 1215.

† al. quantitate.

† al. proficietibus.

Ritus uetus promulgandi leges contra hæreticos initio Pontificatus.

pacem Ecclesie perturbabant.
 Olim ter in anno heretici anathematizabantur.

Illud etiam olim fuit in usu, ut ter in anno solemniter ritum heretici cuiusvisque sectae anathematizarentur, videlicet in die Cene Domini, Ascensionis, & in festo Dedicationis basilicarum Petri, & Pauli, ut notat glos. Ioan. Andr. in Clemen. dudum. verbo, solemnes. de iudicijs, & idem Ioan. Andr. in c. ut officium. in prin. de heret. li. 6. & Ioan. Monachus in glos. supra extrauag. Bonifacii octavi incip. Rem non nouam. tit. de dolo. & contu. inter communes, in verbo, Solemnis dies, quibus tandem ritibus (ut arbitror) successit processus Bullae, qua dicitur in cena Domini, qua annis singulis in die Iouis sancta coram summo Romano Pontifice legitur. qua in primis heretici vniuersi anathematizantur: nam usus huius Bullae (ut breuiter id moneam) tametsi non videatur multum antiquus, ut putat Domin. Sotus lib. 4. Senten. distin. 22. quaestio. 2. art. 3. ver. Hec autem Bulla. cum nec S. Thomas, nec Emericus, nec alij vetustiores auctores eius meminerint, sed a tempore Martini quinti, circa annum Domini 1420.

Origo. Bullae quae adicitur in cena Domini vetustior est quam putauerit Sotus.
 quo tempore Bohemorum haeresis in Concilio Constantiensi fuerunt damnatae, capisse videatur, ac de ea mentionem iam faciunt Paulus secundus, & Sixtus quartus quibusdam rescriptis incipientibus. Et si dominici gregis. Post Leo decimus aduersus Lutherum eam auxit, ac deinde Paulus tertius, & ceteri Romani Pontifices donec ad Gregorium XIII. qui nunc feliciter regnat, continua serie peruenias, tametsi inquam usus huius Bullae, non videatur Soto multum antiquus, considerata tamen antiqua anathematizandi haereticos consuetudine vetustior videri poterit, quam Sotus forte minus uere putauerit: quod efficaciter probari potest ex textu in dicta Clemen. Dudum de iudicijs, ubi scriptum est ita: Etiam extra dies solemnes, in quibus Romani Pontifices processus consueuerunt facere generales. Quae uerba etiam ponuntur in dicta extrauagan. Rem non noua, de dolo, & contu. & glos. in dicta clemen. Dudum verbo: Generales. recte adnotat hos generales processus fieri contra haereticos, credentes & ceteros huiusmodi.

Atque ex dictis desines mirari, si quandoque inuenias multa Pontificum rescripta de poenis hereticorum aduersus haereticos edita eisdem saepe uerbis concepta. nam circa eandem rem idem modus solitus erat seruari a diuersis Romanis Pontificibus.
 b Idcirco ut videatur quae est illa indulgentia, quae conceditur terrae Sanctae succurrentibus.) Ut haec intelligatur, obseruandum est Innocentium tertium in Concilio generali Lateranense. Romae apud Lateranum habito anno Domini 1215. pro recuperanda terra Sancta multum laborasse, magnaque priuilegia, & ingentes indulgentias concessisse Crucifigatis, id est illis, qui vel in proprijs personis, vel aliter id negotium iunissent. Quae res multis uerbis narratur in fine Concilij Lateranense. ubi ponitur expositio pro recuperanda terra Sancta, quam refert Hostiensis in c. Ad liberandam. extra de iudicis, et Sarace. Emericus hic ex Hostiensis eam solum partem retulit (ut apparet) quae suo instituto conueniebat. Atque hoc est quod dicitur esse in parte decisa id est in ea parte, quam abtulit Decretalium compilator a dicto cap. Ad liberandam. extra de iudicis.

Urbanus VIII

Inquisitores haeretice prauitatis, & eorum notarij, durante officio, non possunt excommunicari, suspendi, aut interdici sine speciali mandato sedis Apostolicae faciente de hoc privilegio mentionem.



Urbanus Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Fratibus ordinis Praedicatorum, Inquisitoribus haeretice prauitatis in regno, & dominio charissimi in Christo filij nostri Illustris Regis Aragonum deputatis a Sede Apostolica, & in posterum deputandis, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Ne Inquisitionis negotium contra damnatam haeresim prudentiae uestrae commissum impediri (quod absit) propter aliquorum astutiam, vel esse retardari contingat, uobis auctoritate praesentium indulgemus, ut nullus sedis Apostolicae delegatus, vel subdelegatus ab eo conseruator, aut etiam executor a sede Apostolica deputatus eadem, seu etiam deputandus, in uos, vel quatuor notarios siue scriptores uestrorum, super his uobis fideliter obsequentes, quamdiu in prosecutione huiusmodi negotij uos, & ipsi fueritis, possit excommunicationis, vel suspensionis, aut interdicti sententiam, promulgare, abique speciali mandato praedictae sedis, faciente plenam, & expressam de hac indulgentia mentionem: decernentes irritum, & inane, si secus fuerit attentatum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se noverit incursum. Dat. apud Montem Flaconem. Nonas Aug. Pontificatus nostri anno primo.

Urbanus VIII

Inquisitores, & eorum socij mutuo se possunt ab soluere ab excommunicatione, & irregularitate, in casibus de quibus hic.

Urbanus Episcopus seruus seruorum Dei, Dilectis filiis Fratibus ordinis Praedicatorum, Inquisitoribus haeretice prauitatis in regno, & dominio charissimi in Christo filij nostri Illustris Regis Aragonum deputatis, a sancta sede Apostolica, & in posterum deputandis, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Ut negotium fidei ualeat liberius promoueri, uobis auctoritate praesentium indulgemus, uti uos, & fratres uestri ordinis socios uestrorum, ex communicationis sententiam, & irregularitatem incurrere, aliquibus casibus ex humana fragilitate contingat, vel reuocatis etiam incurtis, quae propter iniunctum uobis officium ad Priores ueros de leui super hoc recurrere non potestis, mutuos uos super his absolueret, iuxta formam Ecclesiae, & uobiscum auctoritate nostra dispensare possitis in casibus de quibus hic.